

2. Iosephi visitatio cum filiis, v. 2.
3. Adoptio: vbi ad quid, quos, & quare adoptet Iacob, exponit v. 3. 4. 5. 6. 7.

In secunda erit:

1. Gestus Iacobi benedicturi filiis adoptatis, v. 8. 9. 10. 11.
2. Ceremonia benedictioni adhibita, v. 12. 13. 14.
3. Benedictio Iosephi & filiorum, v. 15. 16.
4. Iosephi cum patre disceptatiuncula pro primogenito, v. 17. 18.
5. Minoris pro maiore benedictio, v. 19. 20.

In tertia erit:

1. Consolatio Iacobi ad Iosephum & filios, v. 21.
2. Donatio, v. 22.

## PRIMA PARS CAPITIS.

### Ægrotudo Iacobi.

- 1 Fuit autem post illa, dictum fuit Iosepho: Ecce pater tuus egrotat. Tunc assumfit duos filios suos secum, Manassen & Ephraim.
- 2 Nuntiatum vero est Iacobo à quodam, qui dixit: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te: Tunc confortavit se Israel & consedit super lectulo.
- 3 Dixitq; Iacob ad Ioseph: Deus Omnipotens apparuit mihi in Luz in terra Canaan: & benedixit mihi.
- 4 Et dixit ad me: Ecce me crescere faciam te, & multiplicabo te, daboq; te in cœtum populorum: & dabo terram istam semini tuo post te hereditatem perpetuam.
- 5 Nunc itaque duo filij tui, qui nati sunt tibi in terra Mizraim, antequam venirem ego ad te in Mizraim, mei erunt, Ephraim & Manasse: sicut Ruben & Simeon erunt mihi.
- 6 Liberi autem tui, quos genuisti post eos, tui erunt, de nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.
- 7 Ego quidem cum redirem ex Padan Aram, mortua est mihi Rachel in terra Canaan in ipso itinere, cum adhuc esset milliare terra, vt venirent in Ephrath, & sepeliui eam ibi in via Ephrath. Ipsa est Bethlehem.

### EXPLANATIO.

**F**VIT AVTEM POST ILLA VERBA, id est, post res gestas modo descriptas. Formula continuatiua Hebræorum, vt supra, cap. 22. 1. & 40. 1. hoc est, paulo post, quam Iacob cum Iosepho de sepultura conuenerat: eodem nempe anno extremo ætatis Iacobi. Cœperat tunc Patriarcha infirmari, vt instans fatum præsentisceret. Nunc in ualescente morbo ægrotat lethaliter. Ea occasione Moses ad vltimum actum vitæ Iacob describendum accedit, qui cum primis fuit memorabilis. Cum enim propheta & pater esset totius Ec-

clesiæ, prophetico spiritu de statu futuro Ecclesiæ varia prædixit, & id cum primis curæ habuit, vt domesticos suos cœlestis promissionis hæredes post se relinqueret. Hanc vero curam fidelibus parentibus exemplo suo cum primis commendatam esse voluit. Porro actus ille extremus quasi Testamentarius Iacobi est geminus: Priore disponit de hæredibus, quos pro suis censeri velit, hoc capite. Postiore, de benedictione hæredum, capite sequente. Quod porro infirmatur ad mortem sanctus Patriarcha, ætate variisque vitæ laboribus